



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. D. Thomæ Delbene Marvbiensis, Clerici Regvlaris,
Sacrae Theologiae Professoris ... De Immvnitae, Et
Ivrisdictione Ecclesiastica**

Bene, Thomas del

Lugduni, 1674

x. An priuetur, qui proditoriè alapam viró nobili impingit, vel fustibus illum
percuit?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98676](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98676)

5 Confirmatur, quia (quidquid sit de iure communi) (saltem in Constitutione Gregorij XIV. manifestè solum excipitur ab immunitate Ecclesiæ, qui proximum suum proditoriè occiderit: ergo ex vi verborum requiritur actus consummatus cum effectu, seu morte subsecuta, iuxta leg. 1. §. hæc verba, ff. quod quisque injur, & l. 1. de extr. crimin. & notat Bald. in l. damni infecti, §. Sabinus, Cod. de damno infect. Stuar. tom. 1. lib. 3. cap. 11. num. 4. Alciatus in l. verbum erit, num. 1. de verborum significat. Menochius consil. 97. num. 60. lib. 1. Farinacius in append. cit. cap. 9. vbi propterea rectè ait, quod hæc opinio hodie post Constitutionem Gregorij XIV. omni difficultate careat, propter illa verba: *Aut qui proditoriè proximum suum occiderit*; & idè retractat sententiam contrariam, quam in tit. de carcerib. cit. quest. 28. docuerat.

Dices, qui attentavit assassinium, Ecclesiæ immunitate non gaudet (quamvis non sit subsecutus effectus) si ad actum aliquem consummationi proximum, verbè gratia ad insultum, vel vulnus, &c. devenit: ergo neque gaudebit, qui similiter attentavit homicidium proditorium.

6 Respondetur, disparitas est, quia in cit. Constitutione Gregorij XIV. excipiuntur proditoriè occidentes, & assassini: sine autem morte subsecuta non potest quis dici proditorius occisor, sicuti dici potest assassinus, ex cap. 1. de homicid. in 6. ibi: *Quamquam mors ex hoc forsitan non sequatur*, & Adde, quod (ut in dub. sequenti dicitur) adhuc probabilius est, quod assassinus etiam morte non subsecuta, Ecclesiæ immunitate gaudeat.

SECTIO X.

An priuatur, qui proditoriè alapam viro nobili impingit, vel fustibus illum percutit?

SUMMARIUM.

1. Is, qui sub specie amicitie propriè proditoriè alapam viro Nobili impingit, vel fustibus illum percutit, gaudet immunitate.
2. Exceptio firmat regulam in contrarium in casibus non exceptis.
3. Dictio *taxativa* (tantum) est appositæ in constitutione Gregoriana ad excludendos omnes alios casus præter expressos.
4. A viro nobili honor æstimatur magis quam vita; ita ut viro Nobili sit instar vitæ honorem servare.
5. Nobilis inuasus licet possit fugere, vitamque suam & proximi servare, non tamen tenetur, sed potest sine peccato, & irregularitate innadentem occidere.
6. In materia Immunitatis non valent argumenta à paritate, vel maioriore rationis.

Sequitur nòd, quod multò minus immunitate priuatur, qui ex proposito, & sub specie amicitie propriè proditoriè alapam viro nobili impingit, vel fustibus illum percutit, quidquid in contrarium dicant Bobadilla in Polit. tom. 1. lib. 2. cap. 14. num. 44. Villadieg. cap. 3. num. 211. Cutellius de immunit. Eccles. lib. 1. quest. 31. & Ioannes de Hevia in Curia Philipp. part. 3. §. 12. num. 37. (quia vti dicebam) Pontifex in Constitutione excipit tantum quosdam casus: exceptio autem firmat regulam in contrarium in casibus non exceptis, ex l. Tribunus, §. vlt. ff. de testam. militari, & sic cum excipiat tantum homicidium proditorium, non est exceptio ista extendenda ad alapas,

& fustes proditoriè inflictos: tum quia (vbi etiam dicebam) Pontifex, ut excludat omnes alios casus, apposuit dictionem *taxativam tantum*, sic: *Ad unam tantum formam reducimus*. Quæ dictio de sui natura impedit extensionem ad casus non expressos, leg. *propterandum*, §. 1. Codic. de Indic. & docent Decius libro 1. consil. 54. num. 1. Ambrosinus de immunit. cap. 1. num. 14. Peregrinus cap. 6. num. 24. Diana part. 4. tractat. 1. resolut. 45. & Suarez de legib. lib. 8. cap. 15. numero 5. in fin.

Obiicies ex Cutellio loco cit. A viro nobili honor æstimatur magis, quam vita, ita ut viro nobili sit instar vitæ honorem servare (quapropter licet inuasus possit fugere, vitamque suam, & proximi servare, non tamen tenetur fugere, sed potest sine peccato, & irregularitate se defendendo innadentem occidere;) ergo si proditoriè occidere reum priuat immunitate, priuabit etiam immunitate proditoriè alapam viro nobili impingere, vel fustibus illum percutere; cum his actibus vir nobilis honore priuatur.

Respondetur, in hac materia non valere argumentum à paritate, vel maioriore rationis, ut patet ex rationibus iam supra adductis, & ex iis, quæ dicentur infra Dubitat. 24. section. 3. cum simus in odiosis, & contra immunitatem Ecclesiasticam, quæ vtpotè favorabilis, potius debet ampliari, quam restringi; & cum casus, qui in Bulla excipiuntur, exprimantur per particulam, *tantum*, & reductis omnibus ad unicam formam.

DUBITATIO XXI.

An immunitate priuatur Assassinus?

SECTIO I.

Dubitationis Resolutio.

SUMMARIUM.

1. Assassinus non gaudet immunitate Ecclesiæ.
2. Assassinus præcisè Constitutione Gregoriana, si non de rigore iuris, saltem de consuetudine priuatur immunitate.
3. Assassinus per translationem ab Infidelibus ex Syria est, qui fas esse arbitrabantur quoscunque Regis sui inimicos ipso iubente interficere.
4. Mandans aliquem occidi per assassinos, videtur priuari immunitate, etiam effectum non securo, ex cap. 1. de homicid. in 6.
4. Pœna, & censura decreta in dicto cap. adversus crimen assassinorum hodie locum non habent.
5. Assassinus est qui (sive Infidelis, sive Fidelis sit) pecunia, vel alio æquivalenti conductus incantum aliquem occidit.
6. Mandans in aliquorum sententia assassinus propriè non est, & pœna assassinij ad mandatarios extenduntur.
7. Textus in dicto cap. 1. de homicid. in 6. qui loquitur de iis, qui per Infideles quosdam Barbaros, Christianos occidebant, extenditur ad eos qui etiam per fideles pacto, vel interveniente pecunia, seu alio Christianum occidunt.
8. Promissio, cum pretio æstimetur, pecunia æquale.
9. Pecunia, vel quæcumque alia res pretio æstimabilis, promissa vel data pro assassinio debet esse in magna quantitate, ut constituat assassinium.

10 Pecunia